

vocant, pecora peragentem, et totis saltibus dissipantem, *asilum* nostri vocabant; hoc Virgilio licet credas:

Et lucum Silari juxta ilicibusque virentem
 Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
 Romanum est, oestrum Graeci vertere vocantes,
 Asper, acerba sonans; quo tota exterrita silvis
 Diffugiunt armenta.

Puto intelligi istud verbum interisse. Ne te longe differam, quaedam simplicia in usu erant, sicut *cernere ferro inter se* dicebantur. Idem Virgilius hoc probabit tibi:

Stupet ipse Latinus,
 Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
 Inter se coiisse viros, et cernere ferro.

Quod nunc decernere dicimus: simplicis verbi usus amissus est. Dicebant antiqui, *si jusso*, id est, si jussero. Hoc nolo mihi credas, sed fideli Virgilio:

Cetera, qua jusso, mecum manus inferat arma.

Non id ago nunc hac diligentia, ut ostendam, quantum tempus apud Grammaticum perdiderim, sed ut ex hoc intelligas, quantum apud Ennium et Attium, verborum situs occupaverit: quum apud hunc quoque, qui quotidie excutitur, aliqua nobis subducta sint. Quid, inquis, sibi ista vult praeparatio? quo spectat? Non celabo te: cupio, si fieri potest propitiis auribus tuis, Essentiam dicere: sin minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem hujus verbi habeo, puto locupletem; si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum et elegantem, orationis, etiam ad nostrum fastidium, nitidae. Quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur *ὄστια* res necessaria, naturam continens, fundamentum omnium? Rogo itaque, permittas mihi hoc verbo uti; nihilominus dabo operam, ut jus a te datum parcissime exerceam: fortasse contentus ero, mihi licere. Quid proderit facilitas tua, quum ecce id nullo modo Latine exprimere possim, propter quod linguae nostrae convicium feci? Magis damnabis